

B. M. II, 138.  
h. 36, 14.

X 1880731

D. T. O. M. A.  
EXERCITATIO  
*De*



# JURIBUS MA- JESTATIS

*agens*

De Jure erigendi Academias,  
creandi Doctores, Licentiatos, Magistros, Bacca-  
laureos, Poetas & Notarios publicos,

*Quam*

SUB PRÆSIDIO  
CASPARIS ZIEGLERI

J. U. Doct. & Prof. Pub.

*publicè*

*disputandam proponit*

MICHAEL FRIDERICUS LEDERERUS  
WITTEB. SAXO.

*In Auditorio Jctorum ad diem Martii*



WITTEBERGÆ, Excud. MATTHÆUS HENCKELIUS  
ANNO M. DC. LXI.

23.











I.



**A**D Jura Episcopalia refertur etiam cura Scholarum trivialium & oppidanarum. Dn. Carpzov. *Jp. Consistor. l. 1. def. 9.* Etsi enim non Magistratibus tantum municipalibus inter cives suos, sed singulis etiam civibus domi suæ præceptorem constituere liceat liberis suis; quia tamen interest Reip. non in fide tantum verâ, sed etiam moribus civitati conformibus juventutem informari, circumscribenda est civibus ista libertas, & ultima atque summa harum rerum cura vindicanda Majestati. Ethæc causa est, quod Serenissimus Saxoniae Elector, non eos tantum pædagogos, qui trivialibus scholis præficiuntur, sed alios etiam quosvis præceptores, qui privatim educandis instituendisque pueris operam impendunt, Superintendentis vel Pastoris inspectioni subjecerit. Vid. *Ordinat. Eccles. tit. von Winkel. Schulen.* non ignarus, neglectam in civitatibus atque insuper habitam disciplinam irrecuperabili damno sui contemptum solere ulcisci. Unde & privatas Scholas visitari debere rectè post alios concludit Joh. Baptista Costa *de rat. Rat. q. 89. n. 3.*

II. Variè quidem & frequenter in Jure nostro scholarum fit mentio, sed quæ cum his, de quibus nos agimus, commune habent omninò nihil. Ita legimus de scholâ Equitum & peditum *l. 6. C. de advoc. divers. jud.* de scholâ Scriniariorum *l. 9. C. Theod. de ann. civil.* de scholâ Palatina *l. 13. §. 8. C. de judic.* de scholâ Silentiariorum *l. 4. C. de silentiar.* de scholâ societatis sacrarum largitionum *l. 13. C. de pal. sac. largi.* de scholâ domesticorum *l. 3. C. ubi Senat.* de undecim scholis militum *l. ult. C. de locat.* de aliis alibi. Ex quibus tamen illicò patet, scholam



accipi pro ordine militantium & aliorum, qui munere atque officio aliquo ad Principis ministerium pertinente funguntur. Anton. Perez. *Cod. de privileg. scholar.* Marcell. Donat. in *Ammian. Marcellin. l. 26.* Et harum regimen qui Juribus Episcopalibus adnumerare vellet, aulæ & Ecclesiæ quod sit discrimen, se nondum satis nosse profiteretur. Sed nostræ illæ, de quibus nunc agimus, & quæ communiter hodiè ita dici solent, Scholæ, quin Episcopalem desiderent curam, dubitari amplius nequit, cum & aliàs piis causis & locis accenseantur. Nicol. Reusner *l. 3. decis. 4.*

III. Utcunque verò in ludis literariis & gymnasiis instituendis aut conservandis Principis aliqua, nec minima versetur cura, saltem quod juventutis benè educandæ & erudiendæ modum concernit; non prohibentur tamen vel magistratûs municipales, vel etiam privati ex pio affectu scholas erigere, cum hoc propriè & directò ad Jura Majestatis non pertineat, quemadmodum & Ecclesias fundare eos posse diximus *disput. anteced.* Vicissim verò ista talis, quam Magistratibus & privatis tribuimus, potestas, ita subjacet legi publicæ, ut non liceat vel Præceptores præficere, vel dogmata aut libros proponere, quos ut pietati & honestati adversos aut Reip. parum conformes exesse jussit Majestas; adeoque à primâ statim origine schola à quocunque fundata incipit curæ Episcopali & ipsius Principis subesse. Et ex hoc capite reprehenduntur haud immeritò Athenienses, quod sine discrimine admiserint varias admodum, imò & noxias philosophorum hæreses, easque non à sese tantum invicem, sed etiam à religione receptâ & legibus urbanis quam longissimè dissidentes; qui, si uni alicui & meliori Philosophorum sectæ liberè docendi facultatem concessissent, rectius utique & juventuti & Reip. suæ consuluisse putantur. Vid. Aristot. *l. 8. Polit. c. 1.*

IV. Sublimior adhuc & specialior curâ Principis est circa Academias, quippe quas sub iis qualitatibus, quibus hodiè visuntur, erigere præter Principem potest nemo. Et hinc est, quod Jus Patronatus Ecclesiasticum distinguatur, quod



quod fit vel Ecclesiasticum in specie vel Academiarum. Finkelthaus *de jur. patronat. c. 3. n. 4.* Et utique magna est inter patronos Ecclesiarum & Patronos Academiarum differentia. Illi enim possunt esse homines tam publicâ & regiâ autoritate præditi, quàm privati. Hi autem non nisi Principes, & qui Majestate pollent. Ernest. Cothmann. *respons. Academ. 1. n. 8. § 377.* Limnæ. *l. 8. jur. publ. c. 1. n. 31. seq. § 36.* illi, qua tales in Clericum ejusque familiam nullum habent Jus, nullam Jurisdictionem. *c. filiis 16. q. 7. c. 1. X. de for. comp. c. cōsultit X. de jur. patron.* Hi verò in ipsum corpus Academicum & singula ipsius membra summum habent & Jure merito sibi vendicant imperium. Ut adeò Jus patronatûs Academiarum, non tam species sit Juris patronatûs in genere ita dicti, quàm Juris patronatûs regii. Conf. Matth. Steph. *discurs. Academ. 8. n. 15.*

V. Notanter autem dixi de Academiis, *quales hodiè visuntur.* Cum enim nulla hodiè earum inter Europæos inveniatur, quæ non proprium habeat Magistratum Academicum, propriamque jurisdictionem, cumque omnes certis civium suorum immunitatibus gaudeant, & insuper singulares dignitatum & honorum titulos diribere valeant, quibus omnibus nunc potissimum Academiae censentur, non poterunt sanè ab alio ista proficisci, quàm ab eo qui τὸ κύριον habet & concedendi facultatem. Et hunc suum statum Academiæ seculo demum tertio decimo debere, inter omnes autem antiquitate antecellere Parisiensem, eruditè ostendit Dn. Hermann. Conring. *de antiq. Acad. dissertat. 3.* Solent autem Academiae communiter hinc Universitates hodiè vocari, quod Professores & studiosi corpus aliquod & veluti Rempublicam constituent, in quâ legibus consuetudinibus, immunitatibus, libertatibus & jurisdictione ab reliquo civium corpore separatâ utantur, Dn. Carpzov. *in Ip. Consist. l. 2. def. 397. n. 3. 4. 5.* ita ut vocabulum universitatis κατ' ἐξοχήν ad certam aliquam speciem trahatur, cum aliàs in significato famosiori denotet plures cujuscunque conditionis homines in unum Corpus collectos. Vid. Nicol. Losium *de jur.*



VI. Cæterùm uti diversimode se habent privilegia Academiis concessa: ita & Jurisdictio atque animadvertendi in facinorosos potestas non omnibus competit eadem. Hoc certum est, positâ jurisdictione poni aliquam coërcendi potestatem, quia jurisdictio sine modicâ coërcitione nulla est, *l. 5. ff. de offic. ej. cui mand. est Jurisd.* cum aliàs adversus refractarios omni effectu destituatur. Et hæc coërcitio dicitur mixtum imperium, quia hoc genus imperii admixtum est jurisdictioni, & simul Jure Magistratûs competit, ad tuendam sc: Jurisdictionem & Jus redditum exsequendum. Quam ob causam cohærere Jurisdictioni dicitur *l. 1. §. ult. ff. de offic. ej. cui mand.* & inesse eidem, perinde, ut aliqua potentia seu virtus suo toti potestativo. Per consequens competet etiam Magistratui Academico aliqua vis coërcitiva amplior aut restrictior, quatenus Princeps aut qui supremam habet potestatem, permiserit. Est enim mixti imperii quædam latitudo & quidam veluti gradus, quos si non omnes, non tamen omninò nullos Magistratui competere ipsa ejus potestas evincit, cum Magistratus nunquam detur, qui non aliquam habeat vim coërcitivam. Sunt tamen quædam Academiæ, quæ præter Jurisdictionem etiam merum in subditos suos consecutæ sunt imperium, quod de Academia Viennensi refert Middendorpius *de Academ. l. 2.* de Tibingensi Synchronus *ad authent. habita n. 22.* de Oxoniensi, Parisiensi & Ingolstadiensi Scipio Gentilis *ad d. authent. c. 8.* de Salmanticensi Antonius Possevinus *l. 1. bibl. c. 8.* de Gryphiswaldensi Matth. Steph. *de jurisd. l. 3. part. 2. c. 12.* Add. Scip. Gentil. *l. 3. de jurisd. c. 17.* Limnæus *l. 5. de jur. publ. c. 9. n. 33. seqq.* Ilic. Ummius *de process. disp. 4. n. 66.* Sed & add. Petr. Heig. *part. 2. q. 11. ubi n. 13.* cum Hieronymo Muscorno negat Rectoribus Academiarum merum Imperium tribui posse. Quod an probatum satis dederint, merito licet dubitare.

VII. Quandoquidem igitur tanta hodiè Academiis contigit felicitas, ut rudium imperitorumque hominum, qui



qui plerumque literatis literarumque studiosis minus esse solent æqui, foro & judiciis eximantur, per se patet, exemptionem eam ab nullo alio proficisci posse, nisi ab eo, qui τὸ κρείον tenet in Rep. & vel hoc saltem nomine Academiarum institutionem hodiè pertinere ad Jura Majestatis. Patet & hoc, extra territorium suum potestatem istam erigendi Academias principi non competere. Et hinc porrò, Papam Romanum non habere potestatem in alienis ditionibus quicquam constituendi aut determinandi, quod ad studia universalis quoquo modo facere possit. Limitatum enim ejus esse, tum in temporalibus, tum in spiritualibus, imperium, antecedentibus exercitationibus abundè ostendimus.

VIII. Sed quid fiet Academiis illis, quæ à solo Pontifice confirmatæ & privilegiis ornatae sunt, quales adhuc plurimæ in ipsissimâ nostrâ inveniuntur Germaniâ? Enimverò nolim ego cum Canonistis supremam Pontificis quam cum Imperatore habeat, adserere potestatem, quod ex *c. duo sunt 10 dist. 96.* ponit Matthias Stephani *de Jurisdic. l. 3. part. 2. c. 2. n. 14, & discurs. Academ. 8.* nec tamen nolim etiam pro illegitimis habere Academias eas, quæ Pontifici suam debent originem, obstante præsertim totius Imperii observantiâ. Sed puto Academias autoritate Pontificis erectas hodiè perinde haberi, ac si per ipsum Imperatorem erectæ & institutæ essent, Dn. Carpzov. *in Ip. Consistor. lib. 2. def. 396. n. 7.* Dum enim connivet Imperator, & fieri permittit, quod impedire poterat, consensisse videtur, *arg. l. 63. §. scientibus ff. de re judic. Fulv. Pacianus de probat. l. 1. c. 29. 30. Menoch. 6. præsumpt. 99. Rosenthal. de feud. c. 9. concl. 77. n. 6. 7. 8. Hartmann. Pistor. part. 2. q. 7. n. 3. 4. Vincent. Carocc. de locat. part. 2. q. 35. n. 37. Carpzov. l. 6. Respons. 101. Rheinking. de retract. q. 2. n. 201. seq.* quin & multa utilitatis gratia deinceps sustinentur, quæ nullo jure approbante facta sunt. *arg. l. Barbarius ff. de offic. Prator. Limnæ. l. 8. Jur. publ. c. 1. n. 43.* Accedit, quod Academiæ non ex privilegio tantùm in civitatibus oriuntur, sed etiam ex antiquâ consuetudine, quando sc: civitas studium publicum habuit tanto tempore, cujus initii me-

mo-



memoria hominis non extat in contrarium, uti loquitur Fulv. Pacian. *de probat. l. 2. c. 41. n. 52.* Posito hoc, sufficere puto annos centum, quibus civitas in possessione studii publici fuit. Quanquam enim tempus immemoriale seu temporiam hominum excedens accuratè loquendo differat à tempore centenario. Matth. Steph. *de Jurisdic. lib. 2. part. 1. c. 7. n. 145. seq.* Carpz. *part. 2. const. 1. def. 7.* tamen tempus centum annorum plerumque etiam, præsertim in favorabilibus, immemorialis temporis nomine venit, eò quod per illud longissimus vitæ humanæ tractus finiatur. Sichard. *ad tit. C. vetigal. nov. instit. non poss. n. 6.* Dn. Hahn. *Observ. in Wesenbec. tit. de usurpat. & usucap. n. 7.* Joh. Franc. Balbus *de præscript. part. 2. tert. princ. q. 6. n. 24.* Et præsumitur utique Imperator, qui tamdiu studia ibi publicè tractari permisit, jus Academiae concedere voluisse. Atqui pleræque Academiae in Germaniâ à Pontificibus Romanis institutæ ætatem centum annorum excedunt, ut adeò nihil noceat, originem earum proficisci ab illis, qui nullâ tali potestate polluerunt, & tyrannicâ quâdam præsumptione usurparunt.

IX. Undecunque verò tandem, sive à Pontificibus, sive ab antiquâ consuetudine, Academiarum quarundam repetas originem, Principis tamen Majestati derogare per id nequicquam poteris. Sive enim immediatè, sive mediatè suam ille conferat autoritatem, manet tamen, sine Principis voluntate nullam in ipsius territorio subsistere posse Academiam. Et hinc porrò infero, privilegia etiam à Pontifice Academiae concessa Principis subjacere imperio, ita ut vel approbare eadem, vel revocare pro re natâ possit. Et revocari quidem aut abrogari possunt quando cūq; ea, quæ apertè legi divinæ & naturali repugnant, reliqua tùm demum, quando id jusserit necessitas aut utilitas publica, posito hoc, longissimo tempore ea jam fuisse observata, & usu frequenti recepta. De illis enim quæ nunc demum aut de præsentis conceduntur, facilis est decisio, probari ea Principi posse & non posse, utcunque nulla subsit necessitas. Et si probaverit, non valere eam ex concessione Pontificis, sed ex  
con-



cessione ipsius Principis, quippe qui approbando autor ipsarum extitit, sine quo aliàs inutiliter darentur. Lucem hinc accipit doctrina Interpretum statuentium, privilegiorum Academicorum interpretationem & conservationem ad solum Imperatorem pertinere, etiamsi Academia à Pontifice sit instituta & privilegiis ornata. Cothman. *resp. Acad.* 1. n. 8. *seqq.* ob rationem scil. quod Pontifex Imperatoris vicem hac in parte gerat. Matth. Stephan. *discurs. Academ.* 8. n. 10.

X. Illud autem quorundam principium ferendum planè non est, quod Princeps Academiam constituere nequeat, nisi cum consensu Pontificis, & quod Academia à Pontifice non confirmata, pro vera & legitima haberi nequeat. Enimverò fuit hoc Pontificiorum dogma ex eo, quod Canonistæ Jus constituendi Academies pro Jure spirituali habeant, Bachov. *in Trentl. vol. 1. disp. 1. th. 7.* & quod ante transactionem Passaviensem Academia Episcopis lege diœcesana subjuncta fuerunt. Matth. Stephan. *discurs. Academ.* 1. At verò quàm injusta & tyrannica fuerit seculis istis corruptis ante transactionem Passaviensem Jurisdictio Episcopalis, quasi in compendio ostendimus exercitatione præcedente. Nec mirum est, rapuisse ad se Episcopos, & tribuisse ipsis Pontificem, quod alterius erat, cum hâc ratione difficile redditum sit Principi, in arcana Papismi penetrare, & de regiminis sui periculo commonefieri, id quod inde à primis dominatûs Hildebrandini incunabulis sub spiritualitatis tegumento artificiosè admodum occultârunt Alastores Romani. Nec magis verum est, quod Jus constituendi Academies inter spiritualia sit referendum. Quanquam enim ad Ecclesiam & spiritualia haud superficialis & perfunctorius in eo habeatur respectus, non solus tamen ille est & unicus, neque ipsa potestas propterea illicò evadit spiritualis, quemadmodum neque Jus patronatus, quod tamen ad Ecclesiam propius ordinatur, spirituale dici potest, sed tantum spirituali annexum. Joh. de Turre cremat. *ad c. pie mentis 26. caus. 16. q. 3.* Martin. Mager à Schoenberg *de advocat. armat. c. 9. n. 521.*

B

XI. Ex



XI. Ex eodem fonte fluit, quod omnes Academici Clericorum ordini accenseri cœperint, ut sc. eò magis exempti essent potestate civili. Et fortè hùc facit habitus purpureus, quo passim per omnes Europæ Academias ornari solent Rectores, Cardinalium hâc in parte æmuli. Si enim credendum Onuphrio, Cardinales ideo rubro donantur pileo, ut significetur, eos, qui in illum ordinem leguntur, paratos esse debere, pro libertate Ecclesiasticâ propriam, si opus est, vitam morti exponere. Ex quo haud frustra colligit Dn. Conringius *dissertat. Academ. 5.* voluisse Pontifices etiam habitu Rectorali (quem à Pontificibus esse, probabiliter adstruit) non subducere tantùm omnem Academicum cœtum imperio Principum, sibi que uni subdicere, sed & animare eundem ad imperia ejusmodi legitima omnia excutienda. Et disputatur etiamnum, neque omni dubio caret, utrum Academiæ inter Collegia profana & secularia an Ecclesiastica sint referenda. Prius placuit Curiaæ supremae Parisiensi d. 5. Sept. anno 1573. Choppin. *de doman. Franc. l. 3. tit. 27. n. 12.* Posterius plerisq; aliis, præsertim iis, qui Pontificis partestuentur. Vid. Limnæ. *l. 8. jur. publ. c. 1. n. 47.* In terris Evangelicis hodieque Professores pariter & studiosi Jure gaudent personarum Ecclesiasticarum, & idcirco Academiæ non tantum Collegiis Canonicis ac Prælaturis accensentur, sed etiam præter Consistorium Ecclesiasticum, nisi aliud quid consuetudine fuerit receptum, aut Principi aliter placuerit, Judicem agnoscunt neminem. Dn. Carpzov. *in 7p. Consistor. l. 3. def. 12.* Et hæc tamen exemptio quoad forum multum distat ab exemptione eâ, quæ inter Pontificios recepta & introducta est, in primis verò in eo, quod Consistoria à Principe dependeant, & ejus regimini subsint, ut adeò inter Principem & Academias idem adhuc habeatur relationis fundamentum, quod est inter imperantem & subditos, quale vix admittent tyrannidis Episcopalis defensores.

XII. Et hætenus de Jure Academiæ constituendæ. Videamus nunc de dignitatibus Academicis, quippe quarum conferendarum potestatem itidem Majestati asserimus:  
Vel,



Vel, quod interfit Reip. nosse, quibus talis prerogativa conferatur, ut ne indigni privilegiorum participes fiant: Vel quod dignitatum omnium origo penes principem sit, ita ut ex eo & in eum omnes fluant & refluant, tanquam flumina de mari & in mare, Limnæus *l. 8. de Jur. publ. c. 8. n. 6.* vel denique, quod autoritate suâ majorem dignitatibus Academicis splendorem accedere principes animadverterent. Cum ergo Ecclesiæ & Reip. maximam semper præstent utilitatem Viri literati, & in illis omne regimen politicum occupetur, potestatem conferendi ejusmodi dignitates & titulos rectè sibi retinuerunt & Juribus Majestatis accensuere Principes, quin & illos ipsos tanti semper habuerunt, ut plurimi iisdem illis ornari non erubuerint. Vid. Herman. Kirchneri *Orat. de Ducib. princip. promot. hab. Marpurg. ann. 1606,* Christoph. ab Hagen *præfat. tr. de usu usura*

XIII. Quo tempore isti dignitatum gradus primum coeperint, fortè non est, ut hîc prolixè exponatur. Certum est, florentibus Romanorum rebus nec in Græcia, quæ tamen literarum prima semper & præcipua fuit nutrix, nec alibi nostrum hunc creandi Doctores morem obtinuisse, nec alios tunc vel Magistros vel Doctores audivisse, quàm qui reverà docerent. Et quanquam sint, qui ex legibus Justinianeis, ritum istum jam eâ tempestate invaluisse colligant, quò trahunt *l. 2. l. 7. l. 8. C. de Professorib. & Medic. l. X.* id ipsum tamen infirmis admodum niti probationibus, & textus istos temerè in partes vocari, eruditè ut solet, ostendit Dn. Herm. Conring. *de Antiq. Academ. dissert. 4.* ubi post alia probè perspectis & exploratis vestigiis omnibus, hoc tandem pro certo habet, seculo Christiano tertio decimo apud Theologos, Jctos, Medicos, Philosophos honorum titulorumque collationem nostram usu receptam esse; ante id tempus nihil inveniri, quod fidem eâ de re facere possit, & cui tuto insistere liceat. Conf. Limnæ, *de Jur. publ. l. 8. cap. 8. num. 2.*

XIV. Quicquid hujus sit, & quæcunque tandem ejus moris inveniantur initia, non potuit tamen ei retinendo



vel opportunum magis vel magis honorificum existere, quam ipsa Principum, quorum autoritate iste nititur, Majestas & splendor. Insulsum est & insubidum Johannis Molani Scriptoris Pontificii assertum, quod habet *in compend. Theol. pract. tr. 5. c. 32.* inanes esse & irritos illos promotionum titulos, qui se ab obedientiâ summi Pontificis retraxerunt. Quomodo vero inanes, quos ex suâ propriâ potestate confert Princeps? quomodo irritos, quos tantâ cum curâ & sollicitudine decernit? Nec verò solus Papa est, qui dignitates conferendi potestatem habet, sed competit ea etiam Imperatori in terris Imperii, Camill. Gallinius *de V. S. lib. 10. c. 14. n. 8.* & in suo territorio cuilibet Principi alii summum Imperium tenenti, inconsulto Pontifice, imò etiam dissentiente; cùm superioritatem illam, quam in omnes toto terrarum Orbe diffusos Monarchas sibi Papa Romanus sumit, & nullam & si qua esset, maximè perniciosam plerique nunc agnoscant & execrentur.

XV. Præcipua dignitas videtur esse Doctoratus, quem idcirco summum in unaquaque facultate gradum dicunt. Non autem se quis ante debet Doctorem nominare, quàm adeptus fuerit re ipsa insignia Doctoratus. Camill. Gallinius *d. V. S. lib. 10. c. 35. n. 26.* Jacob Menochius *de Arb. Jud. quest. cas. 379. n. 15. 16.* Quanquam enim in favorabilibus Doctorandi pro Doctoribus habeantur, Sichardus *ad. l. nondum 3. n. 6. C. de furt. & serv. corr.* nomen tamen ipsum antè non merentur, quàm revera id consecuti fuerint, ita ut etiam falsi crimen incurrat, qui dolo se Doctorem mentitur. *arg. l. 27. §. 3. ff. de L. Corn. de fals. & pœnâ arbitrariâ puniri possit.* Jac. Menoch. *de Arb. Jud. Quest. cas. 318. n. 21. & cas. 320. n. 7.* Dn. Carpzov. *in prax. crim. part. 2. q. 93. n. 36. 37.*

XVI. Cæterùm, quot & quæ requirantur in eo, qui ad dignitatem Doctoratûs promoveri discupit, & quæ sint hujus dignitatis propria & determinata insignia, ceremoniæ & prærogativæ, prolixè exponit Fulvius Pacianus *de probat. lib. 2. cap. 41.* cui adde Coler. *de process. execut. part. 2. c. 3. n. 135.* Cothmann. *Consil. Academ. resp. 44. n. 36.* Limnæ. *lib. 8. de Jur.*



*Jur. publ. c. 8. n. 88. seqq. 115. seqq.* Nec verò frivola aut inania sunt ista, quæ hodiè in promotionibus frequentantur, solennia, sed unumquodque eorum significativum est dignitatis concessæ, & vel ideò retinendum, quod veluti characterem quendam spectatoribus imprimat. Imò verò gentibus propè omnibus commune semper fuit, in Ordinum & Collegiorum cooptationibus ritum aliquem adhibere tanquam novi honoris insigne. Petr. Heig. *p. 2. q. 11. n. 56.* Non tamen necesse est, ut ubique eadem per universas Academias observentur ceremoniæ, aut eadem passim adhibeantur insignia, ita ut pro Doctore habendus propterea non sit, quod in ejus promotione ipsi fortasse nullum datum fuerit osculum, aut annulus, aut biretum. Quia possunt ejusmodi ceremoniæ pro cujusque Academia instituto variare, & ex arbitrio etiam Principis mutari, cum juris positivi illæ sint, & potestati Legislatoriæ quoad ipsam suam substantiam succumbant.

XVII. Quemadmodum autem Doctoratus haud exiguum nomen est, adeò ut Doctor propterea in dignitate constitutus dicatur, Camill. Gallin. *de U. S. l. 10. c. 12. n. 28.* & nobilium privilegiis gaudeat, imò ipse nobilis fiat. Osvvald. Hillig. *in Donell. enucl. l. 24. c. 14. lit. N.* Camman. *de regalib. disp. 3. th. 63.* Quirin Kubach *dec. 7. q. 7. cent. 3.* aut saltem nobilibus non postponatur, Rheinking. *de regim. sec. & Eccl. l. 1. class. 5. c. 11. n. 29.* sed iis æquiparetur. Marq. Freher. *de infam. l. 3. c. 25. n. 13.* Christoph. ab Hagen. *præfat. tract. de Usur. Dn. Carpz. lib. VI. Repons. 18.* (ubi rectè totam hanc controversiam ita componit, Doctorem esse nobilem titularem in concreto, non nominalem in abstracto. Ein Doctor ist edel/ aber kein Edelmann) Limnæus *lib. 8. de Jur. publ. c. 8. n. 103. seq.* & propter solum hunc gradum præferatur nonnullis, qui aliàs eum præcederent, Don Garf. Mastrill. *Decis. 130.* ita augustiores multò per istam gradus prærogativam facti fuere tituli jam olim Theologis, Jctis, & Medicis tribui soliti. Ita enim Episcopi olim illustribus pares habiti & inter spectabiles relati fuere, Henning Gøeden *consil. 34. n. 4.* Dionys. Gothofred. *ad l. 21. C. de Episcop.* dicunturque reve-



rendissimi l. 18. l. 25. l. 26. l. 33. C. de Episc. religiosissimi l. 28. eod.  
 l. 19. C. de Episcop. audient. quemadmodum & presbyteri, &  
 Diaconi, & apocrisarii titulo reverendissimorum ornantur.  
 Novell. 123. c. 20. & c. 25. Juris Consulti dicti jam diu sunt No-  
 bilissimi l. 7. C. de postuland. ubi tamen vid. Gothofred. Illustres  
 in proœm Digest. rubric. celsi & honorati l. 2. & 3. C. de offic. di-  
 vers. judic. interdum egregii, Sichard. ad l. 12. §. in omnibus  
 C. de R. C. & jur. & passim excelsi, gloriosi, Magnifici, Splen-  
 didissimi, Clarissimi & c. Limn. de jur. publ. l. 8. c. 4. n. 6. & 7.  
 Carpzov. part. 1. decis. 7. n. 18. ad exemplum sc. Æmilii Papi-  
 niani, qui ab Imperatoribus ipsis excelsi l. 6. §. 1. C. de inst. &  
 subst. §. 7. J. de fideic. excellentis l. un. C. Theod. de Respons. prud.  
 summi l. 1. §. 6. C. de vet. jur. enucl. l. 14. C. de sentent. & inter-  
 locut. acutissimi ingenii vir & merito ante alios excellens l.  
 30. C. de fideic. splendidissimus d. l. 1. §. 6. de V. J. E. pruden-  
 tissimus l. 14. C. de præd. & al. reb. min. l. 12. C. de legat. l. 16. C.  
 de fideic. consultissimus l. 3. C. de acq. & ret. poss. disertissimus,  
 l. fin. C. de inst. & subst. appellatur.

XIX. Cæterum Doctoralis hæc dignitas confertur  
 vel immediatè à Principe ipso, vel mediatè, & tum iterum  
 vel in Academiis per Promotores specialiter in eam rem  
 constitutos, vel per Comites Palatinos. Qui in Academiis  
 creantur, omnium habentur dignissimi, & qui dignitatem,  
 quam impetrant, ornare possint suo merito, eò quod pluri-  
 um censuræ & judiciis succumbant, & ex præscripto cum iis  
 agere oporteat. Quò facit, quod ter examinari debeant,  
 qui dignitatem hanc ambiunt, Marqv. Freher. de existimat.  
 lib. 2. c. 3. n. 16, ne sc. non satis probatidici possint, & ne sine  
 re magnæ dignitatis nomen subsistat. cum de substantiâ pro-  
 movendi sit scientia, & ad Doctoratum pauca, ad Doctorem  
 verò plurima requirantur, optimè hoc monente Gregorio  
 XIII. Pontifice ap. Casp. Ens Epidorp. lib. 1. Omnino enim  
 cavendum, ne levis & nimium præcipitata fiat promotio, u-  
 ti ex Constantiensi Synodo refert Matth. Stephan. de juris-  
 dict. l. 3. part. 2. c. 14. n. 62. Sed est tamen hoc pessimi seculi  
 ἀποκρίμα, quod in quam plurimis Academiis, Italicis præ-  
 fer-



fertim & Gallicis, nullo dignorum & indignorum ferè habito discrimine, amplissima literarum dignitates sic in permultos homines, quomodo denari in cloacâ, cadât. Thom. Lanf. *in Orat. contr. Ital.* ita ut passim hodiè reperiantur Doctores, qui docendi sunt, & è cōtrario scholastici, qui docere possunt. Joh. Garf. *de expens. & meliorat. c. 4. n. 6.* cum tamen inverso ordine discipulus esse antè debeat, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere, quod didicit, *c. ordinatos 4. dist. 59.* Et hinc est, quod Doctores ejusmodi nullo suo merito creati passim audiant Doctorelli, Doctores necessitatis, quæ legum nescia est, legum dolores, litium confusores, moneta tonsa, i. e. sine literis, fontes sine aqua, nebulæ turbinibus agitata, a fini coronati &c. Angel. *in l. 1. §. 3. ff. de postul. Rebuff. de nominat. q. 21. n. 17.* Cuppener *in auth. habita C. ne sil. pro pat. p. 46.* Ventur. de Valent. *in Parthen. litig. l. 1. c. 11. n. 7. 8.* Limnæus *l. 8 de jur. publ. c. 8. n. 5.* Facetus est in tales Doctores Juris non nemo Poëtarum, cujus Epigramma legere non usque adeò hîc fuerit alienum. Sic autem ille:

*Quod juris utriusq; te vocaverim  
Peritum, honorem ne tibi dari puta,  
Unde insolescas atq; sumas cornua,  
Peritiorem censeo meam coquam  
Et jusculorum & plurimorum jurium,  
Sint illa sive carniû, seu piscium.  
Vorare tu tantum, illa & apparare scit.*

XIX. Et tolerari quidem posset quodammodo ista quarundam Academiarum liberalitas, si modo in eos conferretur, qui futurorum de se spem facerent profectuum; cum licet quis in publico examine repertus fuerit parum doctus, si tamen spes sit, ut possit proficere, possit salvâ conscientia Doctorari, Fulv. Pacian. *de probat. lib. 2. c. 41. n. 116.* Matth. Stephan. *de jurisd. lib. 3. part. 2. cap. 14. n. 81.* quanquam sententia ista secundum rigorem Juris examinata non usquequaque

se



se commendet. At verò eum facere Doctorem, qui nec de præsentì nec de futuro ullum ejus dignitatis præbet meritum, id tantùm abest ut excusari possit, ut & Doctor ipse, nõ obstante creatione, tanquã sententia lata per improprias probationes, rejici, Sichard. *ad l. 1. C. de testam. milit. n. 13.* & Professores Academiarũ indignum ejusmodi admittentes puniri, Petr. Gregor. *de Rep. l. 18. c. 9. n. 9.* imò & privilegiis exui possint, *c. privilegium n. 9. 3.* Matth. Stephan. *de jurisdict. lib. 3. part. 2. c. 14. n. 125.* Dn. Carpzov. *in Jp. Consistor. l. 2. def. 408.* quem optimũ huic malo obicem ponendi modum statuit Limnæus *in addit. ad lib. 8. c. 8. n. 5. tom. 4.* quemadmodum & ipse ita creatus Doctor privilegiis Doctorum gaudere nequit. Bened. Bonius *de cens. art. 56.* Jac. Menoch. *de A. J. Q. cas. 379. n. 12.*

XX. Qui à Comitibus Palatinis creantur, Doctores, & bullati aliàs dici solent, minoris plerumque sunt existimationis, ita ut aliqui eos privilegiis Doctorum in Academiis promotorum prorsus exuant, & planè incapaces illorum pronuncient, Menoch. *consil. 126. n. 18.* Rutger. Ruland. *de commiss. part. 1. l. 1. c. 14.* Matth. Coler. *de process. execut. part. 2. c. 3. n. 129.* Gvid. Pap. *in decis. Grationopol. qu. 88. § q. 338. n. 11.* Eberh. Speckhahn. *cent. 11. q. 22.* Ventur. de Valent. *in Parthen. litig. l. 1. c. 7. n. 32.* quod tamen, nisi de illis accipias, qui absque examine & eruditionis specimine solo verbo gradum Doctoris consequuntur, cum Jacobo Alemann. *consultat. 5. p. 213.* & Bachovio *in Treutl. vol. 1. disp. 1. th. 7. lit. A.* rectè improbant Treutlerus *d. l. Laur. Ohm. de jur. Episcop. n. 17. lit. 1.* Dominic. Arumæus *ad aur. Bull. discurs. 1. n. 5.* Matth. Stephan. *de jurisdict. lib. 2. part. 1. c. 6. memb. 1. n. 74. seqq.* Quirin. Kubach. *cent. 3. dec. 7. q. 6.* & prolixè Limnæus *de jur. publ. l. 8. c. 8. n. 13. seqq.* propter paritatem sc. potestatis, quam eandem ab Imperatore accepere, tum Academiæ, tum Comites Palatini. Præsupponimus autem, promovendum esse bonis moribus & eruditione probè instructum, & id exploratum esse Comiti Palatino per examen prævium, quod adhibitis Doctoribus aliis plerumque tribus præmittere jubet Diploma Cæsareum. Quod si ergò Candidatus dignitati huic idoneus inventus fuerit, nihil est, quod privile-

vile-



vilegiis aliorum Doctorum ipsi interdicare queat, cum uti dixi, eadem, quâ Universitates, potestate cum renunciet Comes Palatinus.

XXI. De iis verò, qui à Principe immediatè creantur, dubitare licet, utrum inter Doctores in Academiis promotos sint recipiendi aut iis pares habendi? Sanè cum Doctrinæ non simplex sit dignitas, sicut nobilitas, sed in eruditione fundetur, Bachov. *in Tr. d. l.* injurius erit Princeps in Doctorum ordinem, si talem creaverit, qui nullo suo merito dignitatem istam affectat. Et ferendum non est, quod post Angelum statuit Pacianus *de probat. l. 2. c. 41. n. 13.* de inhabilitate creati per principem disputandum non esse, quia semper intelligatur cum eo super omni maculâ dispensatum. Literæ enim non ita subjacent potestati Principis, ut nudâ declaratione ex non docto doctum facere possit, & ne quidem, ut pro docto habeatur, qui vix prima elementa cujusque artis degustavit. Est enim verò tota hæc dignitas ex summo, quod Princeps tenet, imperio; sed habet tamen ea perpetuum ad eruditionem promoti respectum, absque quâ si fuerit, personatus tantum erit & histrionicus Doctor. Unde non malè quidam dispensationem Principis circa inhabilitatem subjecti tum demum admittunt, quando tale concurrat impedimentum, quod possit à Principe tolli, & constet eum scire impedimentum. Anton. Perez *ad tit. Cod. si servus aut libert. ad decur. adspir. n. 6.* Nec incivile quidem est, aut iniquum, ut Doctor à Principe creatus reliquis Doctoribus dignior, sublimior & potentior in prælatione habeatur; sed id tamen ita demum procedit, quando ille eum rigore examinis hunc honorem adeptus fuit, Fulv. Pacian. *d. l. n. 10. II.* Carol. Tapia *ad rubr. ff. de constit. Pp. c. 4. n. 119.* & quando in reliquis qualitatibus paritas subest. Ferdinand. Vasqv. *præfat. ad lib. 1. n. 136. 137.* Quando ergò quis suo merito ab ipso Principe Doctor creatus fuit, non parem tantum eum habeo Doctoribus reliquis in Academiâ renunciatis, sed etiam excelsiorem. Ut verò ille quoque, qui dignitatem hanc non meretur, & nudo titulo superbit, eodem loco habeatur, ne Princeps quidem

C

dem



dem, nisi quoad externam prærogativam, jubere potest. Add.  
Limnæum *de Jur. publ. l. 8. c. 8. n. 9. § 14.*

XXII. Proximi à Doctoribus sunt Licentiati, dicti ex eo, quod licentiam Doctoris titulum assumendi consecuti fuerint; quam ipsam alibi solenni actu promotionis, alibi sine solennitate notabili pro cujusque Academia instituto conferre moris est. Qui verò dignitatem hanc impetraverunt, utcumque se Doctores appellare adhuc nequeant juxta ea, quæ supra à nobis dicta sunt, pro Doctoribus tamen plerumque habentur, maximè in favorabilibus, tum quod cingendus habeatur pro cincto, tum quod in Licentiato eadem essentialia, videlicet mores & scientia, perinde ut in Doctore requirantur. Matth. Stephan. *de Jurisdic. l. 3. part. 2. c. 14. n. 98. seq.* Conf. Vincent. de Franch. *decis. III.* quod tamè de iis tantum Licentiatis intelligunt, qui publicâ solennitate renunciati sunt. Limnæus *l. 8. c. 8. n. 42.* Sed utrum Licentiatus alibi, quam ubi licentiam adeptus est, Doctoris gradum petere possit, disceptant Doctores, uti videre licet apud Menoch. *de A. J. Q. cas. 371. n. 16. 17.* Mindan. *l. 3. c. 5. n. 12.* Wefenbec. *ad tit. C. de monopol. ad l. 1. pr.* ubi id præcipuè offendit, quod putent aliqui, posse Licentiatum alibi Doctoris gradum petere, dum tamen novum subeat examen, etiamsi jurasset, se alibi non sumpturum lauream. Menoch. *d. l.* Est enim verò juramentum omne, quod non est contra bonos mores obligatorium, Guttierrez *de Juram. confirm. c. 34.* quia non magis in potestate est hominis impedire, ne Juramentum verâ & seriâ intentione jurandi præstitum obliget, quam est in ejus potestate impedire exustionem domus vel stuppæ, posito quod ei de facto ignem applicet, licet maximè nolit exuri. Andr. de Vaulx *in paratit. X. de jurejur. §. 8. n. 1.* Nec infringi potest vis Juramenti obligativa per novum, quod subit Licentiatus, examen, cum & illo supersedere possit, & non hoc juraverit, se absque examine prævio nolle alibi lauream petere, sed simpliciter, nolle se lauream alibi petere. Cæterum tota quæstio huc propriè non pertinet, sed alibi ventilabitur commodiùs. Conf. interim Limnæus *de jur. publ. l. 8. c. 8. n. 43.*

XXIII.



XXIII. Transeo ad Magistros, qui & ipsi auctoritate ejus, qui Majestatem habet, creantur. Est enim verò nomen Magistri admodum fecundum, & in genere, quibus præcipua cura rerum incumbit, & qui magis quam cæteri diligentiam & sollicitudinem rebus, quibus præsumt, debent, Magistri appellantur *l. 57. ff. de V. S.* De Etymologia & notatione vocabuli videri potest Limnæus *de jur. public. l. 8. n. 29. & in addit. prior. ibid.* In Jure nostro memorantur Magistri populi, equitum, census, auctionum, epistolarum, libellorum, memoriæ, militum, navis, officiorum, societatis, scriniorum, curiæ, vestium, admissionum &c. Quin & inter Principum dignitates Magistrerium fuisse ex Ammiano Marcellino *lib. 26.* constat. Scholasticis verò, quando id nomen tribuitur, in latiori suo significato cujuslibet disciplinæ præceptoribus h. e. doctoribus, præcepta cujuslibet disciplinæ seu artis explicantibus & docentibus, competit *d. l. 57. de V. S.* neque tamen Doctor aliquando aut Magister dici quis consueverat, nisi idem docendi munus publicum reapse gereret. quò pertinet *l. un. C. de stud. liberalib. lib. XI.* Sed factum tamen deinceps, ut nomen istud in plerisque Academiis, illis tantum adhereret, qui summum in philosophiâ gradum adepti essent.

XXIV. Apud Lovanienses ut & Parisios & Colonien- ses Theologiæ Doctores κατ' ἐξοχὴν dicuntur Magistri No- stri, quod nomen falsè perstringit Autor Apiarii *part. 1. c. 8.* & Erasmus *in Encom. Moriæ p. m. 244.* Ideò autem ita dici putat Rebuffus *in tract. concord. §. 1.* quia communes sint omnium præceptores, tam prædicationibus quam lectionibus gratis in- servientes, ad exemplum sc. Ecclesiæ, quæ etiam nostra dici so- leret ideò, quia erga neminem suum claudat gremium. Quasi illi, non alii debeant esse nostri Præceptores, nosque præ reli- quis illos sequi deceat. Joh. Svevus *ad l. 57. de V. S.* Contendit ibidem Rebuffus, aliarum Facultatum Doctores non debere eo nomine insigniri; ut ita singularis aliqua dignitas per id in- feratur, quæ communicari aliis nec possit nec debeat. At e- nim fruantur illi hoc suo encomio, quoad libet. Nobis com- pertum est, multis id sine merito tribui, & cum quâdam vani-

231m

C 2

tate



tate, quod de suis Colonienſibus ingenuè fatetur Henricus Cornelius Agrippa *l. 7. epist. 26.*

XXV. Quanquam autem uti jam ante dixi, cujuslibet Facultatis Doctores & cujuslibet diſciplinæ Præceptores diſcipulos ſuos docentes, Magiſtri dici conſueverint, Joh. Goeddæus *ad l. 57. ff. de V. S.* quemadmodum Sabinus Jctus Magiſter dicitur *l. 19. §. 2. ff. de recept.* & Epifcopi Magiſtri Eccleſiæ dicuntur Salviano *Epist. ult.* factum tamen tandem, ut nomen abſolutè poſitum eum denotaret, qui in Philoſophiâ gradum ſibi ſupremum comparallet, quod ſc. hic præ cæteris ſtudioſam juventutem erudire, & ad altiora habilem reddere debeat. Neque curanda eſt vana quorundam cenſura, quibus gradus iſte tam abjectus quandoque eſt & contemptus, ut non ipſi tantum eum deprecentur, ſed aliis quoque, ut eo abſtineant, autores ſunt. Et eſt quidem ejus rei cauſa præcipua, quod titulum iſtum conſequantur haud rarò, qui planè rudes & literarum ignari ſunt, in quos acerbè invehitur Beſoldus *in theſ. pract. voc. Magiſt.* ſed quod ipſum vitio ſeculi contingit, & ſuperioribus quoque Facultatibus interdum commune eſt. Nihilominus tamen qui ita creantur, non aliâ autoritate dignitatem iſtam obtinent, quàm ejus, qui τὸ κρείον tenet in Republicâ. ut adeò creatio Magiſtrorum rectè referatur ad regalia majora. Regner. Sixtin. *de regalib. lib. 1. c. 2. n. 32.* Et in hoc enim Doctorebus æquiparantur Magiſtri, quippe qui & ipſi Doctores Philoſophiæ dicuntur, & ſupremum in eâ Facultate gradum adepti ſunt.

XXVI. Reſtant Baccalaurei, à baccâ laureâ dicti Alciat. *ad l. 57. ff. de V. S.* aut à bacillo & baculo, quaſi bacularii, non quod illi, qui tyrocinium literarium primum depoſuiſſent, rude hujusmodi donati eſſent, ut in poſterum docendis & baculo coërcendis pueris præfici poſſent, ſed quod primi ſtudii autoritatem, quæ per exhibitionem baculi conſeſa videtur, jam conſecuti eſſent, ut ita baculi traditio eſſet quoddam quaſi mancipationis ſignum in hujusmodi aliquod ſtudium. Aut etiam à batuendo, quaſi batalarii, ſumpto vocabulo ex militia armata. Uti enim Batalarius dicitur is miles



miles, qui jam semel pugnae, collatis signis interfuit, hostem  
batuere & manum cum eo conferere ausus: ita in palæstrâ &  
militiâ togatâ Batalarius dicitur, qui publicè de arte quâpi-  
am disputavit, inque tentaminis conflictu eruditionis suæ  
specimen de se præbuit. Vid. Matth. Stephan. *de jurisdict. lib. 3.*  
*part. 2. c. 14. n. 107. seq.* Limnæus *de jur. publ. l. 8. c. 8. n. 15. seqq.*

XXVII. Utcunque verò Baccalaureatûs hæc digni-  
tas infima sit & prima, olim tamen Comitum atque Baro-  
num inò Ducum & Principum titulis adcrevit. Et non Philo-  
sophi tantum, sed superiorum quoque Facultatum Docto-  
res in quamplurimis Academiis hoc nomine adscendere vo-  
luerunt suos Candidatos. Neque id malè, cum satius sit, gra-  
datim ad honores provehi, & in progressu defectûs emenda-  
re, quàm uno impetu in fastigium ferri, & anxie ibi inter do-  
ctos & cum quâdam sui diffidentiâ versari. Cæterum crea-  
tionem Baccalaureorum nihil habere Regalium, visum fuit  
Hieronymo Treutlero *vol. 1. disp. 1. th. 7. lit. a.* cui tamen contra-  
dicit Bachovius *ad eund.* & rectè. Siquidem & hîc autoritas  
Imperatoria ut interveniat, necesse est. Et loquuntur eâ de re  
privilegia tùm Academiis, tùm Comitibus Palatinis ab Im-  
peratoribus concessa, quibus potestas creandi Baccalaureos  
disertis verbis inserta est, ut dubitare hac de re amplius non  
liceat. Conf. Limnæus *de jur. publ. l. 8. c. 8. n. 26.*

XXVIII. Cæterum cum de literatorum præmiis ha-  
tenus egerimus, non insubidum hîc erit, Poëtarum quoque  
& Notariorum mentionem facere, quippe quorum creatio,  
aut potius potestas creandi inter Jura Majestatis eò magis  
refertur, quo minus eam Academiis concedere adhuc volue-  
runt Imperatores. Nec tamen negari potest, utrosque in pa-  
læstris literarum formari, & idoneos reddi, ut saltem hoc re-  
spectu eximi Academicorum ordine nequeant.

XXIX. Quod Poëtas concernit, dubium non est,  
multum semper autoritatis eos apud quoscunque literarum  
Patronos habuisse. Sic enim etiam Jæti quam sæpissimè Ho-  
mero & Virgilio testimonium denunciant, eosque in partes  
vocant, nempe ubi vel de vocis alicujus significatu agitur, ut



*l. 65. §. 4. ff. de leg. 3. l. non facile §. 4. ff. de grad. l. venenum ff. de V. S.*  
vel ubi de formulis & conceptis verbis res est *l. 1. §. 1. ff. de mort.*  
*caus. don.* vel ubi proverbialis locutio usurpatur *l. si uxor §. 1.*  
*ff. de adulter.* vel ubi de more aliquo veteri quæstio est *l. 1. ff. de*  
*contr. empt. l. 9. ff. de supell. leg. l. aut facta ff. de pæn.* Ab aliis tan-  
tum ipsis tributum fuit, ut nisi insignis cuiusdam Poëtæ testi-  
monio verba sua munivissent, frustra se docere persuasum ha-  
berent. Fuérunt enim Poëtæ ab initio temperantiæ atque o-  
mnium virtutum Magistri, ut habet Athenæus *l. 1. c. 12.* & ibi  
Casaubonus. & vetustissimi Philosophi Græci carmine sua  
dogmata proposuerunt, quorum versus subinde adducun-  
tur à Plutarcho, Clemente Alexandrino, Sexto Empirico &  
aliis. Utcunque enim naturæ convenientius sit, hominem  
pedestri uti sermone, sicut etiam ire pedibus quam vehi, ut  
scribit Ælius Aristides *oratione in Serapin*; constat tamen ex  
Maximo Tyrio, *diff. 29.* Isidoro *l. 1. orig. c. 37.* Strabone *l. 1.* Plinio  
*l. 7. c. 56.* Apulejo *l. 2. floridor.* tam apud Græcos quàm apud La-  
tinos longè antiquiorem curam fuisse carminum, quam pro-  
fæ, & hujus studium serius viguisse, ab Cadmo, Pherecide &  
Hecateo primum excultum. In vineis autem & à vinitoribus  
repertam poësin, saltem Tragicam, eruditè ostendit Dan.  
Heinsius *in Horat. de art. poët. p. m. 192.*

XXX. Quicquid hujus sit, id certum est, ab antiquis-  
simis temporibus plurimum honoratos fuisse Poëtæ, sive  
quod sapientiores cæteris crederentur, sive quod propter  
singulares afflatus & veluti Enthusiasmos admirationi es-  
sent. Unde non statuat tantum illis positæ, quarum meminit  
Pausanias *l. 9.* sed ipsi etiam variis præmiis decorati fuérunt.  
Refert ex Alexandro Ætolo Poëtâ Macrobius *l. 5. Saturn. c. 22.*  
magno studio populum Ephesium dedicato Dianæ templo,  
curasse præmiis propositis, ut qui tunc erant Poëtæ ingenio-  
sissimi, in deam carmina componerent. Consimiliter ab Do-  
mitiano Imp. institutus fuit agôn Capitolinus, ut in eo cum  
Poëtæ, tum histriones, Scenici, & omne genus artifices, ludo-  
rum Olympicorum exemplo certarent, in quo qui vicissent,  
quercu coronabantur, quam exhinc Juvenalis Capitolinam



vocat, Martialis Tarpejam, Aufonius Olympiam. Et ex Capitolino hoc agone rituque coronandi, laureatorum Poëtarum ordinem initium cepisse, notat Josephus Scaliger *l. 1. Aufon. Lect. cap. 10*, quanquam ex Horatii quibusdam locis longè antiquior iste videatur ritus, uti colligere licet ex *lib. 1. Od. 1. lib. 3. Od. ult. lib. 4. Od. 2.* & aliis pluribus, nisi fortè primo Imperatorum Domitiano potestatem hanc sumptam, aut præter cæteros eximium in modum exercitam dicas, quod aliis discutiendum relinquo.

XXXI. Plerumque tamen Poëtæ hederâ lauro intertextâ coronabantur, vel ut innuerent, per laurum quidem, in sitam venæ fecunditatem, per hederam, artem ac pervigilem industriam. Henr. Salmuth *in Pancirol. part. 1. tit. de Coron.* vel quod Poëtæ non minus in Bacchi, quàm Apollinis essent tutelâ cum & Bacchus deus sit Poëtarum, Taubmann. *in Culic. Virgil. p. 75.* imò fortè magis quam Apollo, vel denique ideò hedera adhibebatur, quod ut ederæ folia commanducata agant homines in furoris quandam speciem, ita Poëtis motus est quidam divinus, quo agitati sæpè furibundis similes ea canunt, quæ ad se reversi vix assequuntur. Jacob. Cruqv. *in Od. 2. lib. 1. Horat.* Est enim Poëta res levis, volatilis, atque sacra, nec canere prius potest, quam deo plenus, & extra se positus, & à mente alienatus sit. Nam quamdiu mente quis valet, nec fingere carmina nec dare oracula cuiquam potest. uti ex Platone refert Janus Huartus *in Scrutin. Ingen. p. 52.*

XXXII. Cœpit ita uti diximus Jus Coronandi Poëtæ ad Imperatores devolvi, (ante Domitianum enim Poëtis coronas undecunque venisse, Virgilius testis esse potest, qui à Pastoribus coronari vult Poëtam, *Eclog. 7.*) vel quod Imperatoria præmia divini spiritûs mererentur, vel quod populus ab iis penderet, & hinc Demagogia quædam metueda esset, vel denique ut eò magis sibi caverent Principes ab eorum mordacitate. Fuit enim verò solenne hoc Poëtis ab antiquissimis usque temporibus, ut quidlibet audendi, & maximos minimos perstringendi sibi sumerent potestatem. Jac. Middendorp. *de acad. l. 1. tit. de poës.* Cumque ipsis impune id esse



esse semper non posset, ( propter legem XII. tabb. quæ carmen famosum acerbè vindicabat, & Poetarum ingeniis vitam hominū subjectam nolebat, ) atq; Principes & Magistratū paulò severiores interdū existerent, figuratè tandē illi, & cū quadam dissimulatione loqui atq; hinc ἐπιμφοτερῆσαι cœperunt. Hoc enim occultum atq; ambiguū dicendi genus sub Tyrannis invaluit, unicum, quo veteres mordacitatem suam ac dicitatem involvebant, velum & mucronis sic reconditi vagina. quod ipsum tamen plurimis pessimè successisse aliquot exemplis ostendit Dan. Heinsius *de Sat. Horat. lib. 1. p. m. 68.* Ut ergò flagella hæc evitarent Principes, & apud Poetas gratiam inirent, ne apud posteros fortè traducerentur, cum & post mortem metuendi essent Poëtæ, à se tantum recognosci lauream Poëticam voluerunt, & ex hoc factum deinceps, ut pro veritatis Professoribus ( ita enim Homerum δεύτερον ἀπὸ ἀληθείας vocarunt Philosophi ) meri crearentur adultores, parasiti, nugatores, & ineptissimi versuum concinnatores, digni profectò, in quorum capitibus Aulici ollas frangant.

XXXIII. Et has quidem rationes iis temporibus, quibus Tyranni Imperium tenuerunt, optimè convenire, probabiliter dici potest. At verò eum per aliquot secula deinceps densissima barbaries omnem Musarum suavitatem exclusisset, Poëseos quoque & eloquentiæ inductum fuit exilium, totam simul eam coronandi ceremoniam planè obliterans & ex animis aut memoriâ hominum quasi eripiens. Nullibi carmen suis constabat partibus, nisi quod bis terque in eandem syllabam caderet. Orationum periodos vel absona verborum geminatio, vel inepta subtilitas implebat, & si qua occurrebant vel ex antiquis moribus vel ex prisca ævi memoriâ, rebusque gestis, ea nunc omittebant foedisimâ ignoratione, nunc ad sui seculi rationem detorta fictitiis sensibus corrumpebant. Barclai. *in Euphor. part. 1. p. 114.* Nec potuit imperitia ista & luctuosa ingeniorum tempestas tolli & cessare prius, quam Franciscus Petrarcha quarto decimo seculo signum tolleret ad literaturam politioem, Voss. *l. 3. de Histor. Lat. p. 524.* Primus ille exulantem humanitatem restituit, cumque ignotum jam penè



penè esset nomen Poetæ, morem ab aliquot seculis desvefa-  
ctum, ut loquitur Taubmannus *de Ling. Lat. p. 99.* revocavit,  
& laurum poeticam, noviter à se repertam primus sibi ipse pe-  
tiit, eamque in Capitolio Romano magnificè impetravit. Ideò  
autem fortè in Capitolio, quia Capitolino certamine Poetæ  
laureà donari consuevissent. Sabellic. *l. 8. Ennead. 9.* Factum id  
anno Domini MCCCXXXVIII, uti habet Platina *in vitâ Bene-  
dicti XII,* & Nauclerus *vol. 2. Generat. 45. fol. 251. 252.* aut  
MCCCXXXIX, uti habet Calvisius *in Chronol.* aut MCCCXL.  
uti Sabellicus *d. l.* aut etiam MCCCXLI. uti in vitâ Petrarchæ  
Italico idiomate ab Alexandro Velutello conscriptâ legitur.

XXXIV. Eo vero tempore jam tum introducti fuerant  
in Academiis gradus dignitatum & promotionum, ut verosi-  
mile sit, tam ad pristinum coronationis ritum, quam ad has ipsas  
dignitates Academicas respexisse Petrarcham, & cum aliis fa-  
cultatibus non deessent præmia & honores, doluisse, quod li-  
teræ humaniores talibus destituerentur. Restituit ergo  
unà cum literis istis morem antiquum, qui jam totus interci-  
derat, quique ipsis etiam Coronatoribus suis ignotus erat, pri-  
musque, ut fuit indagator studiosissimus, rem oblivione sepul-  
tam ævo suo resuscitavit, atque ut in posterum quoque me-  
moriam ejus extaret, exemplo suo effecit. In quam rem non pige-  
bit integra hinc legere verba privilegii, quod ab Urso Anguilla-  
riæ Comite in eâ solennitate accepit Petrarcha. Ea hæc sunt:  
*Hoc nempe Poeticum decus ætate nostrâ, quod dolentes rese-  
rimus, incertum quâ seu ingeniorum tarditate, seu temporum  
malitiâ usque adeò oblitum esse videmus, ut etiam quod per  
ipsum Poetæ nomen importetur, penè incognitum nostris ho-  
minibus habeatur. Sanè autem Poetas egregios in morem tri-  
umphantium accepimus in Capitolio coronari: Usque adeò &  
in desuetudinem abiit nobis illa solennitas, ut jam à mille tre-  
centis annis (facile ignoscimus aut Petrarchæ aut Anguilla-  
riæ Comiti lapsam hunc in re ævo isti minus clarâ. Vix enim  
est, ut tanto tempore ritum istum interquievissè quis putet,  
cùm diutius duraverint agones Capitolini, siye eos sexagin-*

D

ta



ta numeres & Constantinum M. cum Licinio Consule sexagesimum celebraſſe dicas cum Onuphrio, uti ex eo nota: Raderus *ad Martial. fol. 615.* five quadraginta ſaltem, cum Calviſio *ad ann. poſt Chr. Nat. 242.*) nullum ibi legamus tali honore decoratum. Quod excogitans ingenioſus Vir & talium ſtudiorum ab adoleſcentia ſcrutator ardentiffimus Franciſcus Petrarcha, Florentinus, Poeta, Historicus, præſertim tempore præſenti ſuccurrendum ratus, quo neglecta magis erat ab hominibus & deſerta, poſt auctorum volumina diligenti primùm indagine non incognita relictæ, deinde poſt propria proprii ingenii opera, *Historiarum præcipuè & poematum,* quorum partem adhuc habet in manibus, honeſto laureæ flagrans deſiderio, non tam propter gloriam, ſicut idem in noſtra & Pop. Rom præſentiâ profeſſus eſt, quam ut ad ſimile deſideriũ ſtudiorum omnium animos irritaret, quamvis ad hunc ipſum honorem alibi ſuſcipiendum ſtudiis atque Urbibus evocatus: (qui vitam Petrarchæ Italico idiomate conſcripſit, Alexand. Velutellus, invitatum eum dicit tum à Senatu Rom. tum ab Academ. Pariſienſi, tum deniq; ab Roberto Rege Siciliæ, ab ſingulis ſpecialiter, ut laurum apud ſe & in ſuâ Terrâ imponi pateretur) tractus tamen memoriâ reliquorum Poetarum, nec non affectu atque reverentiâ huius S. S. Urbis, cujus eum ſemper conſtat fuiſſe ferventiſſimum amatorem, poſt habitis aliorum precibus, decrevit hũc potiſſimum, ubi ante eum laureatos eſſe meminerat, ſe conferre.

XXXV. Ab eo tempore inſtituta videtur quinta, quædam Facultas, Poëtica ſc. quæ nõ modò pangendi carminis, ſed & *Historiæ ſcribendæ peritiæ,* & ut ſummatim dicam, omnem eloquentiæ apparatus ambitu ſuo complecteretur. Et ſeparatam quidem eam ab reliquis quatuor fuiſſe, ſaltem iis temporibus, ipſe Genius cujuſque & natura oſtendit, dum illas quidem denſa ſtyli barbaries occuparet, hanc ſolam Romanæ linguæ qualiscunque elegantia revivifcens decoraret. Viciffim autem hoc habuit cum reliquis commune



mune, quod & prævium admiserit examen ( quale etiam cum  
 Petrarca per integrum triduum instituit ipse Robertus Rex  
 Sicilię, quippe quo doctior eo tempore in hoc studiorũ gene-  
 re fuit nemo ) & privilegio quoq; planè simili suos ornaverit  
 promotos. Digna sunt iterũ, quæ hîc legantur, verba Privile-  
 gii Petrarçæ cõcessi ex ipso diplomate Comitiss Anguillariæ:  
*Præfatum Franciscum tam dicti Regis ( Siciliæ, Roberti )*  
*quam nostri populario nomine magnum Poetam & Histori-*  
*cum declaramus, præclaro Magisterii nomine insignimus, &*  
*in signum specialiter Poesis, Nos Ursus Comes & Senator præ-*  
*fatus pro nobis & Collega nostro Coronam lauream nostris ma-*  
*nibus ejus capiti impressimus, dantes eidem tam in dictâ arte*  
*Poeticâ, quam in dictâ historicâ arte, atque in omnibus spe-*  
*ctantibus ad easdem, autoritate præfati Domini Regis, S. P.*  
*Q. R. tam in hac sanctissima Urbe ( quam omnium Urbium*  
*caput esse non ambigitur, & magistram ) quam alibicunque*  
*locorum legendi, disputandi, atque interpretandi veterum*  
*Scripturas, & novos à seipso, omnibus seculis auxiliante DEO*  
*mansuros libros & poemata componendi, liberam tenore præ-*  
*sentium potestatem.*

XXXVI. Patet hinc, ab altiore manu & autoritate  
 publica laurum accipere voluisse Petrarçam; potestatem  
 tamen istam conferendi inter Regalia illicò relatam, aut  
 pro Jure Majestatis habitam, non ausim confidenter affirma-  
 re. Quid enim Majestatis Roberto Regi Siciliæ in Urbe Ro-  
 mâ competiisse dicamus? quid porrò Senatui aut populo  
 Romano? præsertim cum eo tempore contra Imperatores  
 ex Hildebrandino fastu strenuè insurrexerint Pontifices, nec  
 paterentur potestatem suam in Urbe Româ, utcunque Ave-  
 nione persisterent, imminui. Quicquid tamen sit de Roberto  
 Rege, cui fortè hoc concessum, quod Pontificis partes con-  
 tra Ludovicum Bavarum sustinisset, videtur nihilominus  
 ipse etiam Ursus Comes tali potestate instructus fuisse, quâ  
 regalia exercere licuerit. Refert Platina *in vitâ Benedicti XII.*



Pontificem misso in Italiam Legato Senatui populoque Romano persuasisse, ut Senatoriam dignitatem, quam diu regio nomine gesserant, suis tandem & Ecclesiæ auspiciis administrarent. Hanc ob rem & Stephano Columnæ senatoriam dignitatem prorogatam fuisse, & Collegam ei datum Ursam Anguillariæ Comitem. Ipsum hunc Columnam & ejus Collegam paulò ante Imperatoris Vicarios appellaverat, *in vit. Job. XXIII.* Cujuscunque verò vices sustinuerint illi, siue Pape, qui Majestatis Jura sibi de facto vindicabat, siue Imperatoris, cui verè competebant, non erit absurdum dicere, à Majestate dignitatem hanc Petrarchæ obvenisse, & populi Romani nomen in speciem tantum, & juxta antiquas formulas adhibitum fuisse.

XXXVII. Quemadmodum igitur reliquarum quatuor Facultatum dignitates ad principale culmen & Majestatem Regiam referri cœperunt: ita quintæ etiam hujus præmia ab eadem expectari similis ratio jussit, ut adeò necesse non sit, ejus rei causas cum Scaligero ex illa Domitiani aut etiam antiquiore ætate eruere, aut ad rationes istas, quibus primos Imperatores moveri potuisse diximus, recurrere, atque adeò ex arce Tyrannicâ ejus originem accessere. quin satius erit intra Petrarchæ, qui primus nostro more coronatus memoratur, seculum subsistere, cum nec diffiteri possimus, summam cum aliis Academicis gradibus cognationem habere laurum poëticam & illos vicissim cum lauru. Sic enim & Salerni Doctoribus laureas coronas imponi, qui idcirco Doctores laureati dicantur, Camillus Borellus prodidit, *l. i. de Magistr. edict. c. 8. n. 110.*

XXXIIX. Illud tamen mirum adhuc videri alicui posset, quare Academiis non perinde data sit potestas conferendæ laurûs Poeticæ, atque data est potestas creandi Doctores, Licentiatos &c. Ejus verò rei ratio peti videtur posse exinde, quod ægrè ferrent Academia, per quintam illam Facultatem cæteras quasi cogi in ordinem elegantioris literaturæ, cum inficeta ista secula barbarie se exonerare nondum possent, & istam verborum curam planè deridiculo haberent. Fuit enim  
verò



verò illâ tempestate, uti loquitur Squarzacichus *in vitâ Petrarchæ*, Poeticum nomen ita invisum, ut, qui illa studia sequeretur, magum, sortilegum & hæreticum esse dicerent. Quid mirum igitur, quod recusantibus Academiis illam quintam facultatem, imò etiam persequentibus hostiliter penes Imperatores aut Reges ea potestas resederit? Sed est tamen deinceps ea nonnullis quoque communicata Academiis. Ita enim Maximilianus I. Imp. anno MDLI. in Academiâ Viennensi peculiare instituit Collegium Poeticum veluti quintam Facultatem, eique præter alia etiam privilegium creandi Poetas concessit. Vid. Poet. Giessens. *in præfat.* Simile quid de Argentoratensi & Altorfinâ fertur. Nec dubito, facilè id aliis etiam permitti posse (præsertim cum Philosophia elegantius hodiè incedat, & eloquentiæ tam inimica amplius non sit, ut potius Poësin ambitu suo nunc complectatur) nisi mori jam inveterato obtemperare cuiuslibet magis placeret. Et hætenus quidem de Poëtis, quæ ita per mutuas velitationes & eruditum commercium cum Viro quodam Clarissimo, Amico nostro veteri investigare licuit, præsertim cum primâ facie vix appareret, quid interesset Majestatis, coronâ donari hominem sibi tantum & Musis, aut etiam Amasiæ suæ canentem, aliorum autem hominum aures festivis plerumque nugamentis & ridiculis fabulis demulcentem, cæteroqui inglorium opinione vulgi, & suâ tantum *Φιλανθρία* ut plurimum se sustentantem. Quæ tamen omnia illis ferè competunt, qui titulo tantum & nuncupatione Poetæ sunt, cum verum adhuc inveniatur illud, quod laurigeri multi, pauci verò existant Phœbi. Illud nescio utrum ad stomachum Poetarum faciat, quod Trajanus Boccalinus alicubi monet, nullis aut mediocribus Poetas debere coli præmiis. victum & vestem illis sufficere, ex abundantia bonorum corporis existere penuriam bonorum animi. ex ocio eos marcere. Quemadmodum nimia in gallinis obesitas eas reddit infœcundas; ita Poetas deliciis & ocio corrumpi. Poetas denique non naturâ ut canes, sed fame coactos velut astures & falcones venatum ire. Sed totum hoc Boccalini consilium vereor ut locum invenire possit, nisi Poetas mihi fingas planè à se alienos,



& communi eorum naturæ reluctantes. Ἀκαπνα γὰρ αἰοῖδὸς  
θύουδρ. Vid Casaub. *in Athena. c. 8.*

XXXIX. Jam ad Notarios, de quibus minus dubium  
est, eorum creationem inter Regalia referri oportere, *Novell.*  
*44. c. 1. in fin.* Potestatem enim sive auctoritatem tribuere alicui,  
ut corio, cui inscripsit, mortui animalis, uti loquitur Aymo  
Cravett. *cons. 56. in fin.* sive potius Scripturæ in eo contentæ, u-  
ti mavult Camillus Borellus *l. 2. decis. tit. 18. n. 95.* plenâ fide  
credatur, non nisi illius est, qui summam & absolutam in pro-  
vinciâ tenet potestatem. Jacob. Bornit. *de instrument. lib. 2. c. 13.*  
ideoq; nec ab alio creari potest Notarius, quàm à Principe, aut  
ab eo, cui Princeps permisit. Anton. Fab. *Cod. lib. 4. tit. 16. def.*  
*ii. n. 2.* Jac. Menoch. *lib. 2. presumpt. 77. n. 8.* Elbert. Leonin. *e-*  
*mendat. lib. 4. c. 13. n. 17.* Hinc igitur non Imperatori tantum,  
& Pontifici potestas ista competit, sed & Regibus & Principi-  
bus aliis superiorem non agnoscentibus, uti Regi Hispan. tum  
domi, tum in Regno Neapolitano & Siculo. Eodem jure  
creant Notarios Republicæ Venetorum, Genuensium, Lucen-  
sium, Ragusinorum, Duces Sabaudia, Florentiæ, Mantuæ, Ur-  
bini, Mutinæ, aliique plures. Camill. Borell. *d. l. n. 100.* Joh.  
Petr. de Ferrar. *in prax. tit. 13. gloss. 3. n. 7.* Joh. Baptist. Asinius  
*in practic. civil. part. 2. §. 3. c. 20. n. 4.*

XL. Nec quisquam mihi hîc regerat, indignum id vide-  
ri majestate Imperantium, cum vile & abjectum sit officium  
Notariorum, & ad servos olim pertinuerit, quò trahunt *l. 18.*  
*ff. de adopt. l. 2. ff. rem pup. salv. for. l. 1. §. 15. ff. de magistrat. con-*  
*ven.* nec dignitatem aut honoris gradum sibi habeat adjun-  
ctum, uti disputant Angelus & Caspar Caballinus apud Gabri-  
el. Palæott. *de noth. & spur. cap. 56. n. 1. 2.* Sanè Notarii, Tabu-  
larii, Tabelliones & servi publici quibusdam JCrîs pro iisdem  
habentur, nec diffiteor, sequioribus posteriorum Imperato-  
rum temporibus parum distinctos fuisse tabelliones à tabula-  
riis, quæ tamen vocabula in gratiam eorum, quos hodiè Nota-  
rios dicimus, accuratè secernere operæ erit precium.

XL I. Et Notarios quidem inter servos fuisse constat  
*ex l. 3. C. commun. de legat. in pr. l. 1. §. 5. C. de comm. serv. ma-*  
*num.*



*num.* eosque dictos ita, quod per notas quasdam sive ab ipso Mæcenate, uti vult Dio Casius, sive ab Aquilâ Mæcenatis liberto, uti vult Isidorus, primùm inventas dicentiũ verba velocissimè exciperent. *Manil. astron. lib. 4. Senec. epist. 90.* Alii tamè ab his fuere Notarii Principis, quos in dignitate & sub primicerio constitutos arguit *tot. tit. Cod. de primicer. & secundicer. & Notar. lib. XII.*

XLII. De Tabulariis verò res tam clara non est, utcunque aliqui indistinctè eos servos fuisse autument. Erant autem Tabularii, qui civitatum aut provinciarum chartas tractabant, *l. 3. C. de tabular. l. 3. §. 2. ff. de tab. exhib.* quique publicas rationes supputabant *l. 1. & l. 7. C. de exact. trib. l. 2. C. de numerar. lib. XII. l. 1. C. de immun. nem. conced. l. 1. C. de censib.* Joh. Coras. *l. 3. miscel. c. 11.* quemadmodum & locus ipse, ubi ejusmodi chartæ asservabantur, quem archivum hodiè dicimus, tabularium olim dicebatur, Marcell. Donat. *in Ammian. Marcellin. p. 849.* Laurent. Pignor. *de serv. p. 153.* Eos verò liberas fuisse personas arguit tùm *l. ult. ff. si mens. fals. mod. dix.* quippe ex quâ actio in tabularium civilis & pecuniaria datur, qualis tamen in servum neque ex contractu neque ex delicto competit, tùm *l. 2. Cod. Theodos. de tabular.* quæ illos in Decurionum ordinem evehi permittit, quod tamen neque servis neque libertis olim, nisi hi jus aureorum annulorum adepti, aut natalibus restituti fuissent, concessum erat. *l. 1. & 2. C. si serv. aut libert. ad decur. adspir.* E contrario servos eos fuisse, non insubidè colligitur ex *l. 3. C. de serv. Reip. manum.* & quod disertè Arcadius & Honorius Impp. servos ad tabulariorum officium in posterum promoveri prohibuerint, *l. 3. C. de tabular. & scrib.* ut jam taceam, per servos publicos ab Interpretibus plerumque intelligi tabularios. Ex hoc legum dissensu non video quomodo eluctari aliàs liceat, nisi dicamus, tabulariorum id munus & ab liberis fuisse administratum & à servis, quatenus scilicet: unicuique civitati aut ordini libuerit, cum præsertim inter dignitates munus ejusmodi relatum nullibi reperiatur, nisi fortè exceperis illos, qui Palatini ministerii portio erant non contemnenda, tabularios videlicet Augustorum vel Augustarum, ratio-



rationis patrimonii, Fiscii Alexandrini, &c. de quibus Laurentius Pignorius *de serv. p.* 153.

XLIII. Ab his autem planè alii adhuc erant Tabelliones, Justus Meyer *in Colleg. Argent. tit. de fid. instrum. n. 4.* quippe qui circa privatorum conventiones versabantur, easque in instrumentum publicum referebant, & auctoritate donabant *l. 21. C. ad L. Corn. de fals. Novell. 44.* ubi disertè distinguuntur Tabularii & tabelliones. Suidas: Ταβελίων, ὁ τὰ τῆς πόλεως γράφων συμβόλαια, ὁ δὲ τοῖς πολλοῖς νομικὸς λεγόμενος, ἅπαντα Ἰπτικῶν ἅ τῶν πολιτῶν γραμματεῖα. ἕκαστον αὐτῶν οἰκείοις Ἰπισφραγίζων γραμμασι. Hos autem Servos fuisse nullibi me legisse memini, & in hoc quoque, quod liberi fuerint, à Tabulariis solent distingui. Anton. Perez. *Cod. de tabular. n. ii.* qui tamen in hanc rem frustra citat *l. 2. Cod. Theodos. de tabular.* quippe quæ expressè de Tabulariis agit. Magis huc facit Novella Leonis περὶ πολιτικῶν σωματείων Διατάξεων, ejus meminit Cujacius *in l. 15. C. de Decurion.* ex quâ intelligitur fuisse certum Tabellionum corpus sub primicerio, à quo ex Collegii sententiâ tabelliones alii creati sunt. Creationem ita factam insinuatam fuisse Præfecto Urbi, Creatoribus jurantibus se nec ambitione, nec gratiâ ullâ, sed solâ virtutis conscientiâ ad novi Tabellionis electionem adductos, atque ita in Secretario Præfecti Urbi annuli signatorii oblatione ejus promotionem fieri. Duci autem eum ad Præfectum Urbi indutum ephestrìde ac deinde promotione factâ ad templum, cæteris tabellionibus eadem indumenta gerentibus, ibique pro ephestrìde ei à Sacerdote dari album Φελώνιον superdictâ prece, ad extremum licuisse συμποσιάζειν μετὰ τῶν συμπαρόντων καὶ συνευφραίνεσθαι, quæ omnia totidem verbis refert Cujacius, ubi addit, de tabulariis quidem loqui eam novellam, sed id factum ex mutatione vocabulorum posterioris ævi, cum omninò in libris nostris tabularii planè alii fuerint. Sanè ritus istos, quos in Tabellionum creatione adhibitos fuisse diximus, ad servilis conditionis homines referre vix ausim.

XLIV. Servi denique publici dicebantur, qui publico are empti publicis quoque officiis destinati erant. Et hinc igitur Magistratibus eos apparuisse, Viatorum & Liciorum, quan-



quandoque etiam Scribarum functos fuisse officio, custodias  
asservasse, pro stipulari nequeuntibus stipulatos fuisse, pecuni-  
am publicam à debitoribus exegisse, ad balneum, ad purgatio-  
nes Cloacarum, ad munitiones viarum adhibitos fuisse, quia  
& sacra quandoque curasse, non nostri tantum, sed & Histori-  
corum & humanitatis Professorum satis copiosè recensent li-  
bri, Vid. Laurent. Pignori *de serv. p. 35. seq.* Robert. Donald-  
son. *Synops. Oeconom. p. 267.* & sub his comprehensi etiam fuere  
illi, qui servilis conditionis erant, tabularii.

XLV. Si jam quærat, quosnam inter hos Notariis no-  
stris comparare velimus, parata nobis est responsio, Tabellio-  
nibus id videri competere. At si istud, nunquam mihi servos  
facies notarios; nec vile proinde aut abjectum erit ipsorum of-  
ficiam, ut juribus Majestatis subjici nequeat. Et Notarios,  
quales hodiè dicuntur, non esse, imò nunquam fuisse servos,  
nobiscum sentiunt Andr. Tiraquellus *de nobil. c. 30. n. 9.* Fran-  
ciscus Cardinalis Mantica *Lucubrat. Vatican. l. 14. tit. 26. n. 3. 4.*  
Didac. Covarruv. *pract. quest. 19. n. 5.* Quod enim Notarii  
communiter dici soleant servi publici, factum ideò, vel quod  
non satis distinguerentur vocabula Tabellionis & Tabularii,  
vel, uti Accursius censuit, quia publicè serviunt, in publicis pri-  
vatisque negociis acta & rationes conscribendo. quanquam  
id non placeat Nicolao Antonio Gravatio *in not. ad Octaviani  
Vestrii praxin. l. 2. c. ult.*

XLVI. Quicquid sit, dignitatem aliquam muneri isti  
hodiè inesse, nemo facilè negabit. Bachov. *ad Trentl. vol. 1. disp.  
8. th. 8. lit. D.* eamque ab ipsa autoritate Imperatorià aut prin-  
cipali arcesse debere, in aprico est. Unde & in quibusdam ci-  
vitatibus Italiae Tabellionatus officium non dedignantur No-  
biles, uti de Bononiensibus & Lucensibus refert Cæsar Barz.  
*decis. 50. n. 12.* Et qui verò dignitatem non habeant, qui jurisdic-  
tionis quandam tenere dicuntur partem, eam sc. quæ ad vo-  
luntariam vulgò referri consuevit, & sine strepitu expediri pot-  
est? Regner. Sixtin. *de Regalib. lib. 2. c. 15. n. 12.* Joh. Aloyf. Ric-  
cius *decis. 1196.* Robert. Marant. *de ord. judic. part. 4. dist. 18. n.  
2, & 3.* propter quam etiam iudices chartularii vulgò vocantur,  
E Gail.



Gail. l. 1. *Observ.* 1. n. 13. Menoch. l. 2. *presumpt.* 78. dum tamen re-  
vera iudices simul creati fuerint, cum esse iudex non causetur  
ab officio Notariatus. Sig. Scaccia *de iudic.* l. 1. c. 61. n. 15. *vers.*  
*Secundo*, Carol. de Grassis *de except. in prælud.* n. 14. Hac autem  
dignitate ipsis collatâ, uti quidem conferri simul ut plurimum  
solet, & appellationes ab eis recipi possunt, & protestationes;  
quemadmodum & testium examina perinde ut apud iudicem  
Ordinarium, magno cum emolumento apud eos quandoque  
instituantur. Jac. Bornit. l. 2. *de instrum.* c. 17.

XLVII. Utcunq; verò ista talia ab iis peragi posse non dif-  
fitear, tota tamen ea, quam tantoperè jactitant, jurisdictio; aut  
exigua mihi videtur aut omninò nulla. Et ita jurisdictionem  
notariis planè denegant Jacobus Mandellus *ad l. fin. ff. de iurisd.*  
*omn. iud.* n. 10. Barthol. Musculus *de success. convent. class.* 1.  
*membr.* 3. n. 66. Non malè, nî fallor, eò quod melioris tantû pro-  
bationis causâ eorum autoritas requiratur, ut ita non tam in ju-  
risdictione, quàm in fide totum eorum officium consistat. Tan-  
ta tamen hinc eorû est autoritas, ut sicubi ab aliquo tali instru-  
mentum factum fuerit, quod ego tibi ad certum diem solutionē  
promiserim, instrumentum istud vim sententiæ habeat & exe-  
cutionem paratam. Sichard. *ad l. fin. C. de edict. D. Hadriani toll.*  
n. 15. tantaque illis à quibusdam habetur fides, ut unus duabus  
aut etiam tribus aliis personis æquiparetur. uti post Panormita-  
num *in c. quoniam X. de probat.* statuunt Thomas Grammaticus  
*decis. Neapolit.* n. 60 n. 11. Mascard. *de probat. conclus.* 1099. n. 3.  
Camill. Borell. *lib. 2. tit. 18. n. 150. & 213.* M. Ant. de Amat. *decis.* 7. n.  
4. Joh. Althus. *Diceolog.* l. 1. c. 51. n. 6, quod tamen haud remerè  
solicitat Jac. Menochius *de A. J. Q. cas.* 105. n. 39. cum difficile sit,  
imò iniquum, testium duorum omni exceptione majorum fi-  
dem unius hominis testimonio elevari. Sed & minus valet asser-  
tio Notarii, quando non ut tabellio, sed ut testis asserit, Barn.  
Cornazzan. *decis.* 42. n. 6. Alvar. Valasc. *consult.* 89. n. 3. quanquã  
id non negem, in dubio Notarii alicujus testimonium præferri  
debere cæteris paribus alterius non Notarii depositioni, quæ vi-  
detur etiam esse sententia Mascardi *d. l. n. 4.* quia pro Notario  
semper est præsumtio, & creato Notario dicitur creatum quo-  
dam-



dammodo unum oraculum veritatis. Cæf. Barzius *decif. 50. n. 9.*  
Conf. Gvid. Pap. *decif. 540.* Didac. Covarruv. *l. 2. resol. c. 13. n.*  
*10. seq.*

XLVIII. Potuissent hæc omitti, nisi facerent ad explicatio-  
nem ejus, quod ante diximus, Instrumentum Notarii totam eã  
vim, quam habet, à superiori potestate accipere. Non potest igitur  
Notarius creari, nisi ab eo, qui legis ferendæ habet potesta-  
tem. Didac. Covarruv. *pract. quest. 19. n. 9.* quâ ratione negamus,  
Ducibus, Comitibus & Baronibus potestatem eos creandi com-  
petere, Paris de Puteo *de syndicat. cap. de excessib. Baron. n. 9. &*  
*13.* frustra id post alios asserente Petro Anton. de Petra *de potest.*  
*Princip. c. 15. n. 59.* Tametsi ergo actuarii judiciorum & Secre-  
tarii in Curiis quandoque dicantur Notarii, tales tamen revera  
nõ sunt, eorumq; fides tantum intra terminos judicii illius con-  
cluditur, Jacob. Bornit. *de fid. instrum. l. 2. c. 13.* Consequens hinc  
est porrò, instrumenti faciendi potestatem nemini competere,  
nisi qui solenniter Notarius creatus est, adeoque nec Docto-  
rem quidem juris eam sibi sumere posse licentiam, utcunque id  
defensitarit Berlichius *part. 1. concl. 43. n. 50.* refutatus Carpzo-  
vio *l. 6. respons. 18. & in Process. tit. 2. art. 3. n. 71.* Fiunt enim in-  
strumenta à solo Tabellione, sicut celebratur missa à solo Pres-  
bytero, uti juxta Papismum suum loquitur Joh. Petr. de Ferrar.  
*in prax. tit. 13. gloss. 3. n. 4.*

XLIX. Quandoquidem autem à superiore omnem suam  
potestatem consequuntur Notarii, non ineptè hîc quæritur,  
quousque eam extendere liceat, & utrum instrumentum confi-  
cere possit Notarius etiam extra Territorium ejus, qui eum  
creavit? Rutgerus Rulant *tr. de Commissar. part. 2. lib. 5. c. 5. n.*  
*23.* dubium relinquit Lectorem. Negant Stephanus Gratianus  
*discept. forens. c. 167. n. 55.* Roland. à Valle *l. 3. consil. 91. n. 15.* Joh.  
Aloyf. Ricc. *decif. 1788.* Joh. Rudinger *cent. 3. obs. 89.* Camill.  
Borell. *tom. 2. decif. 18. n. 105.* Joh. Bapt. Asinius *in prax. part. 2. §.*  
*3. c. 20. n. 6.* Anton. Gabriel. *l. 1. tit. de fid. inst. concl. 1. excipiens*  
Notarium qui simul est judex chartularius, *n. 3.* Joseph. Ludo-  
vic. *decif. 115. n. 23. seq.* Alvar. Valasc. *tom. 1. consult. 9.* ita ut ne  
consensu partium quidem id liceat Notario, nisi sit creatus à  
Pa -



9 K 111  
4730

Papa aut Imperatore Romano, hujus enim instrumentum ubique locorum valere, ubicunque id confectum fuerit, post alios etiam tenet Andr. Gail. l. 2. Obs. 71. n. ult. Matth. Stephan. de jurisd. lib. 2. part. 2. c. 5. n. 7. à quibus dissentiunt Alvarus Valasc. d. l. n. 2. & Nicol. Boër. decis. 242. Sed & hæc exceptio ideò fortasse attendenda non est, quia universale totius hujus universi dominium & regimen quod Imperatori & Pontifici adscribi solet, præsupponere videtur.

L. Quod verò questionem ipsam concernit, interesse videtur, utrum Instrumentum, quod in alieno territorio conficitur Notarius, fiat inter subditos illius territorii, an inter subditos ejus qui Notarium creavit, an inter subditos illius & hujus simul. Primo casu non valet instrumentum, utcumque partes in id consenserint, quia scilicet: Notarius majorem auctoritatem, quam ipsius Dominus exercere & sibi sumere nequit, l. nemo ff. de reg. jur. excipere: nisi instrumenti istius vis & effectus in territorium ejus, qui creavit Notarium porrigatur. v. g. quando alterius territorii subditus ex instrumento tali, in territorio ejus, qui creavit Notarium, agere velit. Secundo casu nihil obstat, quò minus Notarius etiam in alieno territorio Instrumentum conficere possit, prout etiam sentit Nicolaus Boërius decis. 242. quemadmodum enim contractus, & alia quæ voluntariæ sunt jurisdictionis, à Principe ipso in alieno territorio confirmari & expediri inter suos subditos possunt, ita & confici ab Notariis in alieno territorio instrumenta. Tertio casu itidem valere puto instrumentum, non in territorio tantum ejus, qui creavit Notarium, quia in hoc conveniri potest subditus hujus territorii, sed etiam in territorio, in quo alter contrahentium degit, propter jus scilicet: retortionis & ne contractus claudicet. Vid. in utramque partem Johan. Georg. Becht. de securit. n. 216. 217. 218. Illud per se patet, posse à Principe prohiberi, ne valeat Instrumentum ab alio Notario confectum, quam qui ab ipso fuerit creatus.

Nic. Boër. d. l.

✱(o)✱

WMA



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000  
**Kodak** LICENSED PRODUCT

